



Ringo Germundi regis filius patri successit, & inter clariores Gothorum & Sueonum reges maximus ferè extitit. Hic Danos impacabili odio (pro more earum gentium) prosecutus, patris sui mortem vindicare statuit, atq; commodam occasionem expectauit. Cum autem intellexisset se occultis insidijs à Haraldo Daniæ rege peti, aperto Marte eum aggredi tentauit. Id cum Haraldus percepisset, militiam suam ex finitimis Germanis, Saxonibus, Vandalis, Frisonibus, & Britannis cōscrīpsit, atq; maximum exercitum collegit. pari ratione & Ringo finitimos populos in auxiliū acciuit, ac optimos quosq; duces ad se pellexit. Præliū po-

stea magno utrinq; animo commissum, aliquandiu anceps fuit, ac tandem in Sueonum partem inclinauit. Nec meminerunt Septentrionalium regnum historiæ alicuius belli tam atrociter intra patriam gesti. Valuit tū multum fūditorum & sagittariorum peritia & promptitudo. nam sagittæ galeas ac loricas perinde ac inermia corpora penetrabant. In ea pugna fortissimus rex Haraldus iam senex occubuit, atq; Ringo Sueonum Gothorumq; imperio Danicum coniunxit. Postea uero Olonem regem Daniæ constituit. Demum hic fœlix ac gloriōsi nominis rex Ringo, postquam Gothis, Sueonibus, & Danis diu & fœliciter imperasset, atq; ad optatam senectutem peruenisset, Vp-
faliæ sceptræ uitamq; morte commutans, locum in regijs monumentis
acepit, atque filium Egillum successorem habuit. Ioan.